

carnis resurrectione, & sanæ rationi, ut diximus, repugnat, & ex allatis Scripturæ locis neutiquam inferri potest. Prior enim, ex V. Testamentò depromptus, in Hebræò textu ita confusus, perturbatus atque obscurus reperitur, ut inde ne idoneus quidem sensus, multò minùs ejusdem carnis resurrectio elici queat. Posterior autem si leviter tantùm examinetur, non tam eorundem, quàm novorum corporum refuscitationem docere deprehenditur. Quapropter, si hoc Enunciatum falsitatis in Theologiâ convincere satagunt, alia, quibus id præstent, argumenta ipsis in medium proferenda erunt. Quæ cum in Dei verbò occurrant nulla, in Theologiâ pariter, ac Philosophiâ firmum erit ac ratum. Reliqua, quæ superiùs à nobis fuerunt recensita, quod attinet, horum similis est ratio, ut fusè ostendit Keckermannus lib. 1. Præcogn. Philosoph. cap. penult. & Alsted. Præcognit. Theologic. lib. 2. cap. 10, qui etiam ibidem plurima, quibus pugnam Philosophiæ cum Theologiâ alstruere conantur Misophilosophi, argumenta enumerat, atque enervat. Nos breviter, neque enim operæ pretium putamus ea prolixè persequi, respondemus, omnia ista Enunciata, si ab omni vocabulorum ambiguitate liberentur, & rectè justèque distinguantur, limitenturque, ac vera esse, legitimè rationibus Philosophicis demonstrantur, nullò prorsus modò Theologiæ, aut S. Scripturæ contrariari posse: sed aptissimè congruere debere: *Sacra enim Scriptura* (ut habet referente Keckermannò Consilium Lateranense tertium: anno 1180. celebratum, sess. 8.) *veritati Naturæ non repugnat, eò quòd verum vero non contradicat.*

## C A P. IX.

1. *Ecclesiam, Patres, Concilia, Pontificemque Romanum non esse infallibilem Scripturæ interpretandæ normam. 2. Nec Spiritu Dei duci, nec veritates in S. Literis comprehensas certò eruere, ac demonstrare posse. 3. Erroribus esse obnoxios.*

1. **H**Actenus propriam Sententiam, tanquam arcem exstruximus, circumvallavimus, atque propugnaculis munivimus; ac deinde ab insultibus atque invasionibus hostium defendimus, ac fartam tectam conservavimus: Superest denique, nostri quæ pars est ultima cœpti, ut in inimicorum terras nunc descendamus, illorumque arces invadamus, expugnemus, ac demoliamur, quò nostra securior evadat, atque illustrior. Sunt autem illi in duplici differentiâ. Prima est Pontificiorum, altera Reformatorum, & qui ipsis hâc in parte favent. Hos in sequentibus, illos impræsentiarum aggrediemur, & quidem citò expediemus, utpote